

nec etiam recipere aut in dicto banno et<sup>e</sup> eius confinio in redditibus, possessionibus acquirere in futurum nisi ea que dicto monasterio in eleemosinam collata fuerint seu legata. [6] Si res mobilis causa mortis sine fraude et dolo ipsi monasterio collata fuerit seu legata, et si hereditas seu aliquid quod spectat ad hereditatem ipsi monasterio legetur, dictum monasterium seu eiusdem ministri illud infra annum a tempore legati computandum vendere tenetur seu tenentur burgensibus in dicto banno commorantibus, aliis autem nequaquam, et si venditionem huiusmodi legati contigerit infra tempus predictum non esse factam, totum id in manibus villici et scabinorum loci remanere [tenetur]<sup>f</sup> novis burgensibus distribuendum. [7] Volumus insuper quod in villa de Damvilleiro halla pro foro et alie augmentationes, que ad commodum et utilitatem nostram sunt et erunt, communibus sumptibus fiant, remanebit autem pars ipsius monasterii in protectione seu tuitione ipsius domini de Asperomonte sicut prius in perpetuum conservanda.

[8] Hanc igitur libertatem et ordinationem promittimus sub debito iuramenti, a nobis et nostrum altero prestiti, nos inviolabiliter observaturos et sub pena excommunicationis, quam ab ordinariis locorum in nos et nostrum quemlibet ferri volumus, si contra premissa vel aliquid premissorum veniremus in futurum. Nos vero dominus Asperimontis volentes et consentientes, quod si contra venerimus in parte vel in toto, vel dictum monasterium in parte sua et in iure suo molestaverimus et si sententiam excommunicationis per annum ob hoc sustinerimus, quod terra nostra, ubicunque fuerit, ecclesiastico supponatur interdicto, et etiam ubi nos pernoctare contigerit, per triduum sequens cessetur a divinis, quousque ad condignam venerimus satisfactionem. [9] Volumus etiam quod illustris vir Henricus, comes Lutzeburgensis et marchio Arlinensis, dominus loci feudalis, ad observantiam predictorum, si opus fuerit, nos et successores nostros compellat et ad hoc nos firmiter per presentes obligamus, renuntiantes exceptioni doli mali et in factum, omnibus auxiliis et defensionibus canonum et legum privilegiorum, statuti usus et consuetudinis, circumventionis et fraudis, quibus possem contra predicta vel aliquod de predictis facere vel venire.

---

e) *aut* in C.      f) *remanerat* in C.